



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

oblaciones sacræ, quod est fermentum ex consecratione Episcopi per Ecclesias dirigerentur, ac sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 4. Idus Ian. Et cessauit Episcopatus diebus 16.

## XXXIV.

**S**ILVESTER, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annis 23. mens. 10. diebus 11. Hic fuit in exilio in monte Soracte. & postmodum rediens cum gloria baptizauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus à lepra. Cuius temporibus factum est Concilium ipso præcipiente in Nicæa Bythinæ, & congregati sunt trecenti 18. Episcopi Catholici, qui damnauerunt Arrium, Photinum, & Sabellium. In vrbe quoque Roma congregauit ipse cum consilio Augusti 277. & damnauit iterum Calixtum, Arrium, Photinum & Sabellium. Constituit etiam, vt baptizatum liniret presbyter chrismate leuatum de aqua propter occasionem transitus mortis, & vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre, & vt diaconi dalmaticis in Ecclesia vterentur, & vt nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante iudicem causam diceret, nisi in Ecclesia. Et vt sacrificium altaris non in serico, neq; in panno tincto celebraretur, nisi tantum in lineo; sicut corpus Domini nostri IESU Christi in sindone linea munda sepultum est. Vt si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, vt esset Lector annis 30. exorcista diebus 30. acolythus annis 5. subdiaconus 5. diaconus 7. presbyter tribus, probatus ex omni parte, & ab his, qui foris sunt, testimonium habere bonum, vnus vxoris virum à sacerdote benedictæ, & sic ad ordinem Episcopatus accedat. Hic sepultus est in cimiterio Priscillæ, via Salaria, ab vrbe Roma milliaro 3. prid. Kalend. Ian. catholicus & confessor quieuit. Cessauitq; Episcopatus dies 21.

## XXXV.

**M**ARCUS, natione Romanus, ex patre Prisco. sedit annis 2. mens. 9. dieb. 20. Hic constituit, vt Episcopus Ostiæ, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio vteretur, & ab eodem Episcopus Urbis Romæ consecraretur. Qui obiit Nonis Octob. & sepultus est in cimiterio Balbinæ, via Ardeatina. Et cessauit Episcopatus dies 20.

## XXXVI.

**I**VLIVS, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annis 15. mens. 2. diebus 5. Hic fuit missus in exilium à Constantio Imperatore hæreti-